

# PALAESTRA LATINA

## SUMMARIUM

Himno a Apolo y Diana

De «cum» conjunctivi natura JIMÉNEZ

De vocabulis conjunctim sumptis

vel de propositione GONZÁLEZ

Commercium epistulare

Iliadis I, VÁZQUEZ

Pro M. Tullio Cicerone peroratio, AVENARIUS

Nova et Vetera

MIR

Exercitationes scholares

Ordinarii et Superiorum licentia



## Himno a Apolo y Diana (HORAT., IV, 6)

Dive, quem proles Niobe magna  
vindicem linguae Tityosque raptor  
sensit et Troiae prope victor altae  
Phthius Achilles,  
Ceteris major, tibi miles impar,  
filius quamvis Thetidis marinae  
Dardanas turres quateret tremenda  
cuspide pugnax.  
Ille, mordaci velut icta ferro  
pinus aut impulsu cupressus Euro,  
procidit late posuitque collum in  
pulvere Teucro;  
Ille non inclusus equo Minervae  
sacra mentito male feriatos  
Troas et laetam Priami choreis  
falleret aulam;  
Sed palam captis gravis, heu nefas, heu!,  
nescios farū pueros achivis  
ureret flammis, etiam latentem  
matris in alvo,  
ni tuis victus Venerisque gratae  
vocibus divum pater adnusset  
rebus Aeneae potiore ductos  
alite muros.  
Doctor argute fidicen Thaliae,  
Phoebe, qui Xantho lavis amne crines,  
Dauniae defende decus Camenae,  
levis Agyieu.  
Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem  
carminis nomenque dedit poētae.  
Virginum primae puerique claris  
patribus orti,  
Deliae tutela deae, fugaces  
Lyncas et cervos cohibentis arcu,  
Lesbium servate pedem meique  
pollicis Ictum,  
rite Latonae puerum canentes,  
rite crescentem facem Noctilucam,  
prosperam frugum celeremque pronos  
volvere menses.  
Nupta jam dices: «ego dis amicum,  
saeculo festas referente luces  
reddidi carmén docilis modorum,  
vatis Horati».

Dios que, en su prole castigaste a Niobe,  
lengua imprudente, y al osado Ticio,  
y al que fué — casi — vencedor de Troya,  
Tésalo Aquiles,  
magno ante todos, ante ti pequeño,  
aunque, de Tetis valeroso hijo,  
torres dardanias vacilar hiciera,  
firreto, su brazo.  
Él, como pino a que mordiente habla  
bate, o ciprés que desarraigó el Euro,  
vino a tierra, y le ensució la frente  
polvo Troyano.  
Nunca él oculto en el caballo — exvoto  
falso a Minerva — sorprendido habría  
gozos del pueblo ni en el aula regia  
danzas alegres.  
Mas, arrogante vencedor, sañudo  
diera a las llamas balbucientes niños,  
— ¡crimen! — ¡crimen! — y los que aún  
vientres maternos, [celaban  
si, a ruegos tuyos y de Venus misma,  
no hubiese el Padre de los dioses dado  
de firmes muros al caudillo Eneas  
faustos auspicios.  
Tú, que a Talía tañedora hiciste  
y que en el Janto tus cabellos bañas,  
defiende el brillo de las Daunias Musas,  
leve Agieo.  
Febo me inspira; mi canción, mi arte,  
él me los dió, y el nombre de poeta.  
Vírgenes nobles, y de clara estirpe  
nobles mancebos,  
a quienes mira tutelar Diana  
— dardo seguro contra lince y corzo —:  
fieles al ritmo que al compás de Lesbos  
marca mi mano,  
cantad, acordes, de Latona al hijo,  
y a ese nocturno luminar creciente  
que ama los campos y a los meses dicta  
rápidos cursos.  
Luego, ya esposa, tú dirás: — «Yo un canto  
grato a los dioses entoné en las fiestas  
del nuevo siglo, en mis cadencias dócil  
al vate Horacio».

Traducción de D. BONIFACIO CHAMÓRRO  
Catedrático de Latín en el Instituto Cisneros

## NOVEDAD EDITORIAL

Acaba de aparecer la 3.<sup>a</sup> Edición del  
*Diccionario Latino-Español y Español-Latino*  
SPES, S. A. — Cuidadosamente revisada por los  
Redactores de «Palaestra Latina».

Precio del ejemplar ptas. 55. — La Redacción de «Palaestra Latina», (Conde, 2, Barbastro - Huesca) se lo ofrece con un notable descuento.

## IMPORTANTE

## NOVEDAD EDITORIAL

Advertimos a nuestros lectores que el precio de suscripción de la Revista, desde el 1 de enero de 1950 es el siguiente:

España, Portugal y América	<b>20</b>	pesetas
Demás Países	<b>22</b>	»

# TEXTOS PALAESTRA

## Edición de texto y comentario escolar

Primer curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 1.º (2.ª edición)	12 ptas.
	•	Historiae Sacrae Compendium (3.ª edic.)	5 ,
Segundo curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 2.º (2.ª edición) ( <i>en prensa</i> )	
	•	Repetitorium (Libro de prácticas)	15 ,
	•	Epitome Historiae Graecae (4.ª edición)	6 ,
Tercer curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 3.º ( <i>en preparación</i> )	
	<i>Ramos,</i>	Corneli Nepotis Vitae	5 ,
	<i>Mir,</i>	Ciceronis Epistulae Selectae	4 ,
Cuarto curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 4.º ( <i>en preparación</i> )	
	•	Caesaris de Bello Civili, 2.ª edic.	6 ,
	•	Ciceronis pro Archia poëta	4 ,
	•	Ciceronis in Catilinam	4 ,
Quinto curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 5.º ( <i>en preparación</i> )	
	<i>Martija,</i>	Vergili Aeneidos (libro 2.º)	6 ,
	<i>Mesa,</i>	Sallusti de Conjuratione Catilinae	6 ,
	<i>Mir,</i>	Nova et Vetera (método directo del latín)	20 ,
	<i>Planque-Planas,</i>	Gramática Griega	36 ,
Sexto y séptimo curso	<i>Jiménez,</i>	De Orthographia Latina	6 ,
	<i>Martija,</i>	Prudenti Carmina Selecta (2.ª edición)	5 ,
	<i>Sarmiento,</i>	Martialis Epigrammata	4 ,
	<i>Mesa,</i>	Titi Livi Historiae Selectae	8 ,
	<i>Zuluaga,</i>	Horati Carmina Selecta	6 ,
	<i>Ruiz,</i>	Homeri Odyssea (Primer canto)	10 ,
	<i>Ramos,</i>	Xenophontis Anabasis (Primer libro)	12 ,

## Edición de sólo texto

Ciceronis Epistulae . . . : 2 ptas.
Ciceronis in Catalinam. . . 2 ,
Ciceronis pro Archia . . . 2 ,
C. Nepotis Vitae . . . 2 ,
Sallusti de Catilinae Conjuratione 3 ,
Titi Livi Historiae . . . 3 ,
Vergili Aeneidos (lib. II) . . . 3 ,
Horati Carmina . . . 3 ,

# CLÁSICOS "LABOR"

Esta Colección constituye el guía obligado en la lectura y estudio de los grandes clásicos de la Antigüedad y de las Literaturas modernas. Cada volumen contiene un estudio magistral acerca de uno de los grandes autores y una selección de los textos más bellos y representativos de sus obras, facilitando con oportunos comentarios la perfecta asimilación de su contenido ideológico y su plena fruición estética.

Volúmenes de 250 a 300 páginas, tamaño manual (11,5 x 17,5), encuadrados a la holandesa, con sobrecubierta a dos tintas y un retrato del autor estudiado, impreso sobre papel couché.

## VOLÚMENES PUBLICADOS

1. **HOMERO**, por J. M. PABÓN, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 28.-
2. **VIRGILIO**, por J. de ECHAVE-SUSTAETA, Catedrático de Lengua y Literatura latina. Ptas. 32.-
4. **BALTASAR GRACIAN**, por J. GARCÍA LÓPEZ, Catedrático de Lengua y Literatura española. Ptas. 30.-
5. **SENECA**, por J. F. YELA, Catedrático de Filosofía en la Universidad Central. Ptas. 30.-
6. **DEMÓSTENES**, por M. FERNÁNDEZ GALIANO, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 32.-

NUEVOS TOMOS EN PRENSA Y EN PREPARACIÓN

**EDITORIAL LABOR, S. A.**

MADRID: Alcalá, 144

BARCELONA: Ronda Universidad, 23

# FOTOGRABADOS

# CLARA

IGUALADA, 6 (GRACIA) · TELEFONO, 27·69·35

BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

## De «c u m» conjunctivi natura

In superiore fasciculo (n. 117, p. 67-69) mihi opportunum visum est nonnulla tradere de hujus particulae origine. Nihil tamen dixi de recta ipsius scriptione, quae nunc ab omnibus fere *c u m* scribitur — quanvis constet prius a multis servatam esse hanc differentiam, ut *c u m*, si tempus significaret per *qu*, si comitem, per *c ac* duas sequentes [litteras] scribebatur; <sup>(1)</sup> quia revera mens nostra alia fuit, scilicet rem potius ad syntaxin quam ad orthographiam deferre, cum de sensu et usu hujus vocabuli agi coeptum esset.

Eo tandem ventum est. Agemus igitur nunc *de sensu seu significatione «c u m» conjunctivi*, et differemus in aliud tempus quaestiones *de usu seu de modo quo «c u m» adhiberi solet*.

### A. — DE SENSO PRIMARIO «C U M» CONJUNCTIVI

Sub finem prioris expositionis, cum Dre. Gardner Hale, <sup>(2)</sup> hanc attuli conclusionem, omnem fere explicationem de *c u m* conjunctivo ad syntaxin de relativo referre posse, quia nempe vim et originem habeat a relativo pronomine mutuatam.

Quod facile patet ex eo quod pronomeni et conjunctio inter se aut commutari possunt aut de facto commutantur.

Sint exempla: a) *de facto commutantur*

Cic. *De off.* 3, 10, 18: Incidunt... saepe *causae*, *cum* repugnare utilitas honestati videatur.

Cic. *De rep.* 2, 10, 18: Incidunt multae saepe *causae*, *quaes* conturbent animos utilitatis specie.

b) *facile commutari possunt*

Cic. *De or.* 3, 37: Dies et noctes Q. Tuberonem videbamus, philosopho *cum* operam daret (= *qui* operam daret).

Cic. *Ad fam.* 7, 30, 1: Fuit mirifica vigilantia, *qui* suo toto consulatu somnum non viderit (= *cum...* somnum non viderit).

Quae commutatio fieri potest in iis praesertim orationibus in quibus *c u m* inducitur a periphrasi *fuit quondam tempus*, *cum...*; *dies*, *annus fuit*, *cum*; *saepe causae incident*, *cum*, cet. Exempla passim obveniunt. Satis sit haec adderre:

Cic. *P. Rosc. Am.* 18, 50: Accusator essemus ridiculus si illis temporibus natus essemus, *cum* ab aratro arcescebant qui consules fierent.

Cic. *P. Rosc. Com.* 12, 33: Accipit... agrum temporibus eis, *cum* jacerent pretia praediorum.

Cic. *Inv.* 1, 2, 2: Fuit quoddam tempus, *cum* in agris homines passim bestiarum more vagabantur.

(1) QUINT. *Inst.* 1, 7, 5; cfr. quoque. VEL. GLK. VIII, 70, 16; CAPER GLK VII, 95, 6 *c u m*, si praepositionem per *c* scribendum, si adverbium temporis aut causale, per *qu*; MAR. VICT. *ibidem* VI, 13, 12, CASSIOD., *id.* VII, 156, 3; 207, 1. Quam differentiam in scriptione servant tum clmi. Stolz-Schmalz in *Latinum Grammatica* (Münzen, 1900), tum conscriptores Thesauri Linguae Latinae.

(2) W. GARDNER HALE, *The c u m constructions; their history and functions*. Cfr. RIEMANN, *Syntaxe latine*, Paris, Klincksieck 1942, p. 494

CIC. *Ad fam.* 7, 28, 1: Memini (*illius temporis*) cum mihi decipere videbare.

SALL. *Jug.* 98, 2: Jamque dies consumptus erat, cum tamen barbari nihil remittere atque acrius... instare.

CIC. *Brut.* 20: Hunc elegimus diem, cum te sciremus esse vacuum.

VERG. *Ecl.* 8, 7: En erit unquam | ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?

CIC. *Mil.* 69: Erit illud profecto tempus et illucescit aliquando ille dies, cum tu fortissimi viri magnitudinem animi desideres.

CIC. *Ad fam.* 15, 14, 1: Multi anni sunt, cum ille in meo aere est.

CIC. *De off.* 2, 21, 75: Nondum centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L Pisone lata lex est.

CIC. *De off.* 3, 12, 50: Incidunt saepe causae, cum repugnare utilitas honestatis videatur.

CIC. *De orat.* 1, 28, 129: Saepe enim soleo audire Rosciū, cum ita dicat...

Jam vero ex his allatis exemplis sensus primarius *cum* conjunctivi colligitur; tempus videlicet significat; tum si comitetur verbis quae tempus exprimunt, ut in prioribus exemplis, tum si his careat, ut plerumque accidit. Unde *cum*, quod nos *conjunctivum* indiximus, saepissime *temporale* nominatur, quia hic est proprius et praecipuus ipsius sensus.

E congerie exemplorum quae passim in scriptoribus classicis legentium oculis officiunt haec pauca sufficient in quibus sensus temporalis sponte ac manifeste appareat:

CIC. *Q. fr.* 3, 1, 5: Cum hanc jam epistulam complicarem, tabellarii a vobis venerunt.

CIC. *Ad fam.* 14, 23: Cum constituero, faciam te certiorem.

CAES. *B. G.* 2, 36, 3: Haec cum agerentur, nuntii praemissi ab rege Juba venerunt.

CAES. *B. G.* 6, 12, 1: Cum Caesar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Haedui

CIC. *Tusc.* 2, 35: Cum varices seabantur Mario, dolebat.

## B. — ALII SENSUS «CUM» CONJUNCTIVI

Sed praeter sensum proprium et primarium, *cum* exprimit quoque causam, condicionem, concessionem, cet.; quod facile cognosces, si, ex. gr., animum intenderis in superiore exemplum allatum; in quo non tantum tempus significari videtur, sed potius causam cur Marius doleret, quia nempe varices ei secarentur.

Unde aliud similitudinis vestigium cum relativo pronomine, cum relativum non tantum ad determinandum et definitendum antecedens —quod est officium relativi praecipuum— sed etiam sensu causalī, finali, condicionali, concessivo saepe usitatum appareat. In qua re confirmanda, liceat mihi exempla nonnulla proponere.

### 1. Pronomen relativum sensu causalī adhibetur.

PL. *Mil.* 370: Ego stulta et mora multum, quae cum hoc insano fabuler.

PL. *Mil.* 1376: Stulte feci, qui hunc amisi.

PL. *Persa* 75: Sed summe ego stultior, qui rem curo publicam.

CIC. *Pro Arch.* 10, 24: O fortunate adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconom invenieris.

CIC. *Ad fam.* 7, 30, 1: Fuit enim mirifica vigilantia, qui toto suo consulatu somnum non viderit.

Cic. *De Sen.* 46: Habeo senectuti magnam gratiam, quae mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit.

Caes. B. G. 5, 39, 2: Accidit ut quidam milites, qui discessissent, interciperentur.

## 2. «*Cum*» exprimit causam.

Cic. *Ep.* 13, 24, 2: Tibi maximas gratias ago, cum tantum litterae meae potuerunt.

Cic. *De or.* 2, 154: Quo etiam major vir habendus est (Numa), cum illam sapientiam constitutae civitatis duobus prope saeculis ante cognovit, quam eam Graeci natam esse senserint.

Cic. *Mil.* 99: Te quidem, cum isto animo es, satis laudare non possum.

Cic. *Or.* 129: Cum cooperit Curio pater respondere, subito assedit, cum sibi venents erat memoriam diceret.

Pl. *Trin.* 1170: Quom ille itast, ut eum esse nolo, id crucior.

Juv. 4, 14: Quid agas, cum dira et foedior omni criminé persona est?

Ter. *Andr.* 487: Deos I quaeso ut sit superstes, quandoquidem ipsest ingenio bono, | cumque huic est veritus optumae facere adulescenti injuriam.

Sall. *Jug.* 102, 5: Magna laetitia nobis est, cum te talem virum di monuere.

## 3. Sensus finalis appetit in orationibus relativi.

Pl. *Most.* 344: Da illi quod bibat.

Caec. *Stat. com.* 210: Serit arbores quae saeclo prosint alteri.

Ov. *Met.* 4, 195: Major sum quam cui possit fortuna nocere.

Caes. B. G. 1, 7, 3: Helvetii legatos ad eum mittunt, qui dicerent...

Caes. B. G. 6, 21, 1: Neque (germani) druides habent, qui rebus divinis praesint.

Cic. *Off.* 1, 14, 43: Sunt autem multi qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur.

Cic. *Verr.* 2, 4, 11, 26: Vestrane urbs electa est ad quam (=ut ad eam) cum adirent ex Italia crucem cives Romani... viderint?

Liv. 21, 9, 3: Obviam ad mare missi ab Hannibale qui dicerent nec tuto eos adituros... nec... operaes esse legationes audire.

Liv. 21, 10, 13: Ego ita censeo, legatos extemplo Romam mittendos, qui senatu satisfaciant.

N. B. Nullum repperi exemplum in quo *cum* clare obveniat sensu finali; si forte in classicorum lectione aliquando occurrerit, juvabit illud accurate colligere.

## 4. Sensus condicionalis in relativis.

Cic. *Tusc.* 3, 15: Necessus est, qui fortis sit, eundem esse magni animi (=si quis fortis sit...).

Cic. *Or.* 151: Mos est Athenis laudari in contione eos qui sint in proelio interfici (=si qui sint in proelio interfici...)

Pl. *Persa* 273: Emere oportet quem tibi oboedire velis (=si forte vis quempiam tibi oboedire...)

## 5. «*Cum*» condicionem significat.

Cic. *Ad fam.* 3, 7, 1: Pluribus verbis ad te scribam, cum plus otii nactus ero (=si plus otii...)

cfr. Cic. *Ad Att.* 8, 15, 3: Plura scriberem, si ipse possem.

Cic. *De fin.* 5, 28: Cum id sua causa faciet, et oderit se et simul diligit (=si id sua causa...)

Cic. *Caecin.* 44: Potestis principia negare, cum extrema conceditis? (=si extrema conceditis?)

Cic. *N. D.* 2, 79: Cum sint in nobis consilium, ratio, prudentia necesse est Deum haec ipsa habere majora (=si sunt in nobis...)

Cic. *De fin.* 11, 16, 2: Hoc cum populus Romanus meminit, me ipsum non meminisse turpissimum est (=Hoc si populus Romanus...)

## 6. Orationes relativi vim habent quoque concessivam.

Cic. *De or.* 1, 18, 82: Egomet, qui sero ac leviter graecas litteras attigissem (=etsi sero ac leviter...), tamen... complures... ibi (Athenis) dies sum... commoratus. — Pompeji milites exercitui Caesaris luxuriem objiciebant, cui (=a pesar de que a él) semper omnia necessaria defuissent.

## 7. «*Cum*» expremit quoque concessiōnem.

PROP. 1, 1, 7: Toto furor hic non deficit anno, *cum* tamen adversos cogor habere deos (=etsi tamen...)

LIV. 21, 8, 12: Phalarica... pavorem faciebat, quod, *cum* (=porque, toda vez que) medium incensum mittebatur, arma omitti cogebat.

CIC. Phil. 1, 15, 36: *Cum* (aunque) adesse non licebat, aderant tamen.

CIC. In Cat. 1, 8, 21: De te autem, Catilina, *cum* tacent, clamant (=a pesar de que callan...)

SALL. De B. Cat. 20, 12: *Cum* tabulas, signa, toremata emunt, nova diruunt..., tamen summa lubidine dīvitias suas vincere nequeunt.

NEP. 19, 1, 2: Phocion fuit perpetuo pauper, *cum* dīvitissimus esse posset.

## C. — SPECIALES SENSUS «*CUM*» TEMPORALIS

*Cum* conjunctivum, quod primario et per se quid *temporale* significat, varia accipit nomina paulo inter se diversas. Summatim procedamus.

### 1. «*Cum*» iterativum, quod idem est ac *quotiens*, *quotienscumque*. Ex. gr.:

CIC. Verr. 5, 11, 27: *Cum* ad aliquod oppidum venerat (Verres), eadem lectica usque in cubiculum deferebatur.

2. «*Cum*» explicativum, quod fit plerumque cum verbis affectuum: *do leo, gaudeo, laudo, gratias ago, gratulor, bene (male) facio*: v. gr.:

CIC. Fam. 9, 14, 13: Gratulor tibi, *cum* tantum vales apud Dolabellam.

3. «*Cum*» coordinatum seu relativum, cum videlicet sese refert ad particulam seu locutionem *dies, tempus, annus erat... cum; tunc, interea, vix... cum*. Ex.:

CIC. De div. 3, 2: Sex libros de republica *tunc* scripsimus, *cum* gubernacula reipublicae tenebamus.

4. «*Cum*» inversum seu additivum dicitur cum apodosis praeponitur protasi, saepe saepius cum aliqua ex his particulis: *jam, nondum, vix, vixdum, vix bene... cum subito, repente*. Ex.:

FLOR. 3, 11, 8: Itaque vixdum venerat Carras, *cum* undique praefecti regis ostendere signa.

5. «*Cum*» narrativum seu historicum quod exprimit tum tempus tum maxime conexionem factorum, quodque verti solet linguis romanicis per gerundium sive praesens sive praeteritum. Ex.:

CIC. Pro Planc. 64: Sic tum existimabam, nihil homines aliud Romae nisi de quaestura mea loqui... At ego *cum* casu diebus iis itineris faciendi causa decedens e provincia, Puteolos forte venisse, *cum* plurimi et lautissimi iis in locis solent esse, concidi paene, judices, *cum* ex me quidam quaesissent quo die Roma exissem et numquidnam esset novi.

Forte quis mirabitur cur in ultimo allato exemplo «*cum*» bis in modo subjuntivo adpareat (*cum venissem, cum exissem*), semel in modo indicativo (*cum solent esse*). Immo et modo infinitivo saepe obvenit. Quid ergo? Sed hoc non pertinet ad quaestionem *de sensu*, sed ad illaqueatam et irretitam quaestionem *de usu cum conjunctivi*, de qua in proximo fasciculo.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

## De vocabulis conjunctim sumptis vel de propositione. - I

**Notio.** — Omni in lucubratione scripta seu opere litterario, non aliter atque in ipsa elocutione hominum, praecipuas quidem partes habere Syntaxim, in comperto est. Singulorum selectio vocabulorum, cum scriptori tum loquenti, omnino necessaria, veluti selectio laterum aedificatori atque herbarum pharmacopoeiae est. At res mutui commercii potissima, utpote et difficilior artiumque liberalium propior, est ipsorum vocabulorum collocatio vel ordinatio, ad eas quasi unitates sermonis efficiendas, quae a grammaticis «propositiones» fere appellantur. Hinc primarium Syntaxeos scopum esse studium propositionis, jam apparet; in eandemque accuratius tradendam auctores, praesertim recentiores, maxime incumbunt.

Memoranda illa Ciceronis definitio: «Elocutio est idoneorum verborum et sententiarum accommodatio» (*Ad Heren.* 1, 2). Duas ex ea dari re, quae veram elocationem constituunt, facile convincitur: cogitationem scilicet ac linguam. Animus enim noster, in communicatione cum rebus exterioribus positus, et sentit et cognoscit et vult: certas sui ipsius tanquam mutationes, natura duce, experitur earumque intima quidem conscientia utitur. Quas vero mutationes sui animus cognoscit, vulgari «cognitionum» nomine designamus; complexum autem eorum signorum sensibilium, quae adhibemus ad cognitiones similibus communicandas, «linguam» nuncupamus.

Jam vero, propositio fere definiri potest: «Enuntiatio oralis alicujus cognitionis». Hanc oralem enuntiationem uno exprimere vocabulo possumus, aut etiam pluribus inter se conjunctis per regimen, vel concordiam, vel juxtapositionem. Eae vero notiones regiminis, concordiae et juxtapositionis lectoribus sunt maxime familiares, quam ut longius modo enodentur.

Propositioni autem plus quam unum vocabulum saepe saepius erit; nam mentis cogitatio, cuius oralis enuntiatio est propositio, ex se includit, cum ipsum cognitionis subjectum tum ejusdem aut actionem aut passionem: aliis verbis, unaquaeque cogitatio et subjectum et praedicatum re vera amplectitur. Sicque locutio «vivis», exempli gratia, idem plane sonat ac «tu es vivus».

In omni igitur propositione semper est, implicita ratione vel explicita, subjectum et praedicatum: ullam his carentem partibus in sermone dari, impossibile omnino est. Si propositio simplicissima «rorat», conspectu primo, caret subjecto, nativam jam cognitionis indolem perscrutemur, sensumque verbi «rorat» enodemus; et commode verum colloquenti propositionis hujus subjectum apparebit. Nulla quidem hic, quod antiquiores grammatici, propositio vere impersonalis; sed proprius est tertio personalis, quae videlicet tertia solum in persona singulari verborum usurpari solet.

Itaque omne verbum est vera propositio, dummodo id in modo finito vel

personalis sit, insuperque aliquid exprimat, quod actu existit. Si me philosophorum tenore exprimi liceat, unum verbum «actuale» vera propositio est. Cum dicitur «amare Deum», nulla propositio effertur: verbum enim hujus locutionis est infinitum. Neque locutio «si veniam» rite dicetur propositio: quia verbum non exprimit quidquam actu sed dumtaxat potentia, quod philosophi ajunt, existens. Ad summam, hic similesque vocabulorum complexus sensum compleatum vel absolutum habent nullum; ideoque non speciatim nomine «propositionum», sed potius «locutionum» seu «phrasium» veniunt. Ex hucusque dictis jam elucet, limites inter vocabula et phrases esse interdum pergraciles, adeo ut eorumdem notiones confundantur, neque lineam inter ipsa dividentem constituere possis. In lingua hispanica, verbi gratia, forma verbalis aspectu primo simplex «amaré», non unum solum exprimit vocabulum, sed veram propositionem: etymologice enim a latino «amare habeo» derivatur.

**Quaestio.** — Hactenus non nulla carptim de notione propositionum. Verum grammaticis atque linguistis hodiernis non una eademque de re est sententia. Paululum igitur progrediamur et quaeramus, quid districtum sit «propositio». Perrarae certe in linguarum scientiis sunt quaestiones, quae ita studiose varieque agitantur, ut quae ad propositionis definitionem referantur. Grammatici antiquiores ex duobus capitibus definiebant: logicum erat alterum, alterum grammaticale.

Propositio ex primo capite vulgo dicebatur. «Vocabulorum nexus, qui sensum plenum seu absolutum habet». Verbi gratia: «Tu exscribis versus». Haec vero definitio est aperte manca; sunt enim propositiones multae, quae uno vocabulo efferuntur. Omnia verba finita actualia esse propositiones, supra jam innuebamus. Itaque sunt propositiones: «Facis, edit, dormiunt».

Praeterea, si quis homo viator, in deversorium intrans, famulo dicit «aquam», omnes eum norunt dicere: «Da mihi aquam». Uno vocabulo vera hic propositio exprimitur, nihilque refert implicita de re agi: districte enim omnes propositionis notae habentur. Insper, vocativo cum utimur ad aliquem appellandum vel argendum, hae hujusmodi propositiones dantur. Hinc, juxta vocis gestuumve habitum, locutio «Petre» significat: «Accede huc», vel «itane haec audes dicere?».

Ad summam, in sermone cum scripto tum orali, ad propositionem efficiendam nullus videtur necessarius vocabulorum nexus: unum esse potest propositio; ideoque grammatici et linguistae de «propositio-vocabulo» hodie disserunt.

Altera propositionis definitio est, vi naturae, logica sicque contrahitur: «Enuntiatio oralis judicii». Sicut talis subjecto, copula et praedicato constat, atque in idem omnino vergit ac «propositio logica». Haec definitio, ut superior, eas non includit propositiones, quae uno vocabulo constant: quae modo

«propositiones-vocabula» nuncupantur. Neque amplectitur interjectiones, quae interdum sensu propositionis consimili usurpantur. Cum enim dicitur «heu!» idem fere exprimitur ac: «dolor pungit». Hac tandem logica definitione eae propositiones excluduntur, quae affirmativo modo non fruuntur; nam interrogatio, indicium timoris, desiderii, cet., nullo pacto judicia haberi valent.

Ut has omnes difficultates devitarent in natura propositionis enodanda, cum solum grammaticae tum logice consideratae, ex saeculo transacto grammatici paene innumeratas definitiones excogitaverunt, quas hic adferre et prolixum et inopportunum foret. Juvat tamen ceteris omissis, definitionem tenoris omnino eclecticci innuere, quam refert J. Hofmann, in Grammatica Latina. «Propositio, ait, enuntiatio oralis est, interdum aucta rebus a sermone alienis (gestu, contextu, situ), quae habet sensum proprium ac plenum, destinaturque ad repraesentationem statumve animi efferendum».

Commode haec definitio genus «propositionum-vocabulorum» amplectitur, atque eas quoque ellipticas, in quibus per gestum suppletur, aut facilem ob intellectionem enuntiatio alicujus vocabuli omittitur. Hae ceteraeque hodiernae definitiones ad illud quidem tendunt, quod omnia omnino propositionum genera ambiant; et omnes penitus exceptiones devitent in variis variorum linguarum, cum ore tum scripto, aut litteratorum aut vulgi opera, rationibus conjungendi inter se vocabula ad humanas cogitationes exprimendas.

Id tamen prae oculis habendum: propositionum genus breviatarum, subauditatarum, suppletarum et interjectionalium in uno sermone familiari generatim usurpari; immo vero etiam, quo plenior est comprehensio mutua scriptorem inter et legentem vel inter colloquentes, eo quoque plenior usus ejusmodi propositionum. E contra, in sermone litterario iisque praesertim in operibus, quae ad lectores longinquos et sine ullo cum scriptore contactu destinantur, in praxi ejusmodi propositiones vixdum reperiuntur. Hinc ii praegrandes auctorum conatus ad omnes omnino usus in definitione propositionis includendos, forsitan parvi momenti saepe evadant.

Jam vero, ex hucusque dictis haud difficulter elucet, auctores de propositione disserentes in notionem pure grammaticalem vel logicam fere in postrem se conversuros, juxta proprium ratiocinandi habitum. Inde difficultas, ne impossibilitatem dicam, in nativa detegenda et explicanda definitione «propositionis». Et probabilius erit, quod antiquitus, alia linguistae, alia philosopho rhetorique alia ejusmodi quaestionis aestimatio. Propterea semper attendenda maximo opere illa Ciceronis admonitio de praemittenda definitione cuilibet rei tractandae. Hac solummodo ratione et lingua philosophi, et philosophus linguistae comiter sententiae acquiescat, aut saltem alter alteri obsequetur.

ILDEPHONSIUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Sasaimae, in Columbia, a. 1949.

# Commercium epistulare

Rdo. P. Josepho M. Mir, C. M. F.

Sasuiiae, 6 Februarii, 1950.

PALAESTRÆ LATINAЕ Moderatori  
Barbastri.

Mi Reverende Pater:

Numero —quod Plautus in fabellis scribebat —fasciculum PALAESTRÆ LATINAЕ superioris anni extremum hac quidem occasione salutavi, quem meis met totum oculis atque animo jucunde perlustravi. Omnia mihi in eo, quidni?, valde placuere. Io! Auspicatissima sane Documenta legere datum! Immo vero etiam carissimas cordi photographias iterum atque iterum conspicere!

Per mihi quoque grata, quae raptim (tot distinetur negotiis) de Curriculo Salmanticensi altero clarissimus P. Jiménez referebat. Vobis enimvero «ad meliora atque ampliora» strenue laborandum, ut dextro adhuc omine effecisti. Iis igitur de rebus hoc mihi sumpsi, ad te ut congratulationis aliquid litterarum, quanquam impenso prae desuetudine nixu, lingua latina exararem.

Quod vero in animo, mihi crede, altius inhaesit tuus ille articulus *Nova et Vetera* de vehiculis hodiernis. Remque tu commodius ipse calleas! Tua cum «Johanne Gundisalvio» consalutatio et collocutio mihi multam (lectoribusque, opinor) de iisdem vehiculis scientiam commodavit aut, si mavis, tanquam oleum caulibus instillavit.

Cum lucubrationis tuae textum pellucidum tum vocabularium perlegi, qui pristina mihi peculiaria studia recolerem, cum una tecum in Cervariensi alma Universitate in rem ejus modi incumbebam. Ut tempora, ut mores, ut fortunae vicissitudines immutantur! Verum hic Moralistae mihi ad vicem neutiquam accedendum, nonne?

Tuo in articulo ut videre est, illud P. Jové *trahaculum*, ad hispanicam vocem *tren* significandam, tu fere detraxisti, eique *tramen*. quo multi utuntur hodierni scriptores, suffecisti. Id vero mihi, qui tibi nonnulla significarem, ansam praebuit. Quod si abs te seorsum sentio, tamen in amico, amicus ut adfert Plautus, quaestus est quod sumitur. Neque vero mihi tantum sumam ut te, bone latinorum magister (Salmanticam testor), retraham; sed meam, quantulacumque est, opinionem de re tibi apertam volui.

Jam vero, propositum adgrediamur. Vocabulum *tramen*, in latinitate post-classica usitatum, idem et hispanae voces *trama*, *hilo* significat. Latine autem idem est ac verbum *tramo*, quod etsi usitatus in sermone, minime tamen in provinciam Classicorum est receptum. De vocis *tramen* veriloquio, haec fere opinor. Talis probabilius est origo: *transmeo* > *trameo* > *tramen*. Hac facile via significatio vocis, ut ex latino exsistit, commonstratur.

Ex romanarum vero linguarum natura atque usu, mihi haec quoque, quid est causae cur non?, derivatio probaretur: *tramo* > *trah(i)men* > *tramen*. Haec certe etymologia commodior, in nostra quaestione, esset; minus tamen multo est, nisi fallor, probabilis ratio. Iis quippe in rebus Historiae usque consulendum.

Praepostere, vox hispana *tren*, quae variis in romanis linguis prostat, latinam formam *trah(i)men* exigere cuilibet videatur. Quod tibi fortasse aliis-

que scriptoribus ansas ad vocabulum *tramen*, e linguis derivatis ad primitivam ascitum, adhibendum dedit.

Facem vero Morphologia preeferendo, haec de natura vocis *tramen* tenenda perspicue constat. Suffixum latinum *-men*, quod cum graeco *-ma* omnino convenit, e primaevō typo «mn» originem ducere. Sicque res habet: ὁ-νο-μη = ὄνομα; (g) no-mn = no-men.

Nunc vero; quaenam est vis semantica hujus suffixi «mn»? In lingua classica, cum Graeca tum Latina, id actionis effectus verbi significare videtur. Confer, amabo, φίγ-μη cum frag-men; tuoque animo expende vocabula: *flamen*, *fulmen*, *lumen*, *numen*, *semen*, *tegmen*, cet.

Quae cum ita sint, vox *tramen* minus apta videretur, quae significet hispanicum *tren*. Id enim nostrum vehiculi genus tanquam apparatus est maxime ex semet ipso per curricula tractus. Vox itaque *tramen*, si ipsius originem ex verbo *traho* admittamus, id sonare videtur: aliquid vi actum, vel aliquid tractum vel, ut supra, actionis effectus verbi *traho*.

At hisce me argumentis, qui tua jam jam objecta diluam, quicquam mere passivum exprimere velle, ne inferas: multis id partibus redundantia esset Logices. Iisdem scilicet quicquam dumtaxat significare intendo, quod «prius» est motum tractumve; atque id ipsum, non suffixi sed radicis vi, potest etiam esse motu praeditum, quod in voce *flumen* aliisque hujus modi, quarum quidem radix est verbum motus. Vocabulum *tramen*, si mavis, quod ad significacionem, quid medium est inter *tractum* et *trahens*; seu aliquid quod prius movetur posteaque movet (vel movere potest). Alterum ex vi suffixi, alterum ex radicis obtinet.

Hinc vocabulum *tramen* adhiberi ad id significandum, quod hispani *vagón* dicimus, facile ego convenirem. Ex quo illam seriem «traminum», una cum machina tractoria vel vaporitraha, quae nostrum efficiunt *tren*, *tramina* nominari posse sequeretur.

Tibi igitur id considerandum pono: anne loco dicendi *tramen*, satius esset plurali numero *tramina* adhibere. «Numerus» hic contrahere vim videretur! Quod quidem, si quid mei judicii est, duplarem pree se fert commoditatē: cum vocabulum haud ita dissonaret a Semantica latina, de Phonetica nihil omnino opponendum; tum id maxime cum natura atque usu linguarum romanarum conveniret. Medium, ut vides, in quaestione memet offero.

Haec, mi bone, tibi quae de voce *tramen* proponerem habui. Rem tu melius animo perpendes, tuaeque demum sententiae stare magna me laude honestavit. Nolo hic prolixior tibi neque importunus esse. Cura ut valeas nostrumque sis apud Dominum et Mariam memor. Vale multum.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Jos. M. Mir, C. M. F. P. Ildephonso González, C. M. F. Sal.

Eodem temporis puncto tua aërvola epistula advenit, cum ad typographum hunc PALAESTRAE LATINAЕ fasciculum mittebam. Tua omnia dulcissima nobis... Alia omisi ut tibi de *tramine* arguenti locum darem. —Facultati, quam praebes, non indulsi, ut familiari tuo loquendi generi morem gererem...

Responsionem exspecta et vale.

Barbastri, pridie Nonas Martias.

# ILIAS I

- Sic, indignatus, respondet Juppiter illi:
- 525 «Junoni incutes ita... jurgia saeva profecto,  
quae me continuo lacerabit verbere linguae.  
Coram Caelicolis saepe indignata beatis,  
arguit auxilio solis me Troibus esse.  
Sed fugel Ne Juno mecum te cernat agentem!
- 530 Mens mea fixa manet: tua cuncta facessere jussa!  
Utque fidem praestes, nutu tibi dicta probabo.  
Scilicet haud fallax, vanum aut revocabile verbum  
esse meum poterit, quodcumque ego vertice firmem!».
- Haec ait; atque superciliis Thetidi annuit atris;
- 535 ambrosiasque comas divino in vertice Rector  
concutit et nutu capitis tremefecit Olympum.  
His habitis, Thetis excelso descendit Olympo  
in vada caerulei pelagi latebrasque profundas.  
Juppiter ingreditur rutilantia tecta Deorum.
- 540 Patris ad adspectum, surgunt a sedibus omnes;  
occurrunt simul, ac circum testantur honorem.  
Ipse sedet solio insigni stellisque corusco!...
- Sed non Junonem latet illum in vertice Olympi  
cum Senis Aequorei nata, Thetide, esse locutum!
- 545 Nec tulit. Inde Jovem verbis incusat amaris:  
«Quis deus est nuper fatus, dic, perfide, tecum?...  
Te juvat, ignara me, clam cognoscere causas,  
et procul amotum dare jura et foedera inire;  
nec mibi consilium credis quod corde volutas!»...
- 550 Cui responsa dedit Divum Pater atque hominum Rex:  
«Ne mea nosse velis, Juno, molimina cuncta;  
nec poteris, quamvis conjux mea jure voceris!  
Si quod oportebit te scire, hoc tempore nullo  
quisquam sive hominum cognoscet sive Deorum!
- 555 Si quod consilium solus meditabor habere,  
nil tibi sit curae, neu vana indagine quaeras».
- Huic breviter responsa refert Dea maxima Juno:  
«Juppiter horribilis! Cur talia verba profaris?  
Nil equidem scitata, nihil te hucusque rogavi;
- 560 semper enim solus, quod vis, meditaris et audes...  
Sed nimium vereor ne te sententia vertat.  
Nam Senis Aequorei pulcherrima filia caelum  
mane novo adveniens, supplex tua genua tenebat...».

- Ac vereor ne sis nutu largitus Achillem  
 565 extolli, Danaos occidi in navibus omnes».
- Cui responsa refert hominum Sator atque Deorum:  
 «Usque adeone mibi gravis importunaque semper,  
 o misera, occurses? At frustral Namque perosum  
 longius avertens animum, magis ipsa dolebis!...»
- 570 Haec, si vera fuere, mibi placuisse necesse est!  
 Tu taciturna sede, monitisque infledere prudens;  
 ne nil proficiant tibi qui potiuntur Olympo,  
 si tibi forte manus immittam, robore plenasi!...»
- Sic ait ille minans. Obmutuit inclita Juno,  
 575 jamque sedens, cordis tumidi compescuit iras.  
 Caelicolae pariter reprimebant corde dolorem...  
 Talibus extemplo Vulcanus Mulciber infit:  
 grata volens Matri Junoni munera ferre:  
 «Horrida, ni fallor, fient odiosaque testa,  
 580 quod nunc, sic, hominum causa, contenditis ambo,  
 jurgia miscentes sine fine; ideoque saporem  
 convivia amittent, veluti vitiata venenol!...»
- Hortarer Matrem, licet omnia calleat ipsa,  
 quamprimum placare Patrem, ne jurgia postbac  
 585 suscitet, ac nobis epulas et pocula turbet...»
- Posset, si vellet, Summus Moderator Olympi,  
 te caelo dare praecipitem, quia robore praestat...  
 Si blandis cures mulcendum vocibus..., ille  
 sponte tibi nobisque bonus te fiet agente!...»
- 590 Prosiliensque bonae Matri cratera nitentem  
 obtulit, in manibus ponens, dum talia fatur:  
 «Perfer adhuc fortis, quantumlibet anxia, Mater;  
 ne, quamvis caram, teneat te cernere coram  
 percussam..., nec opem possim tibi ferre dolentil!
- 595 Haud facile Omnipotens supereretur viribus ullis!  
 Jamque, tibi auxilio cupientem forte venire...,  
 me, pede correpto..., detrusit limine caelil...  
 Raptabarque die toto... sed vespere tandem  
 in Lemnon cecidi, vitae vix parte relieta...»
- 600 At Sinti celeres me sustinuere caducum».
- Sic ait; et leni risu Dea maxima Juno  
 accipit a nato manibus cratera nitentem.  
 A dextris orsus, debinc omnibus ordine Divis,  
 magnanimus pateras implebat nectare dulci.
- 605 Tum vero incipiunt Divi ridere beati,

*Vulcanum ut cernunt properantem fundere vina...*  
*Sic habuere diem totum convivia lauta...*  
*Ac, conviva satur, nemo desiderat escas,*  
*neve modos citharae, quibus aures mulcet Apollo,*  
 610 *Musarumve leves thoreas et carmina pulchra.*  
*Ut lux occiduas solis descendit in undas*  
*somno indulturi, sua quisque cubilia tendunt,*  
*quae Vulcanus eis mira construxerat arte.*  
*Summus item lectum poscit Moderator Olympi,*  
 615 *quo recubare solet, somno devictus amico.*  
*Jamque toro dormit, juxta simul inclita Juno.*  
*(Finis)*  
*Misaél VAZQUEZ, S. J.*  
*In Columbia.*

## Pro M. Tullio Cicerone peroratio <sup>(1)</sup>

*(Conclusio)*

Dicere vero Ciceronem nescisse educare filios suos temeraria et stulta est oratio. Nam qui Ciceronis libros, ante ceteros epistularum ejus volumina legerit, si nihil aliud intellegereret, hoc tamen manu, ut ajunt, prehenderet neminem magis filios suos diligere, neminem diligentius filiorum suorum educationi prospicere potuisse, quam M. Tullium. Si Marcus filius non attigit magnitudinem patris sui, si plusculum Athenis a sodalibus bibere didicit, quaenam ea culpa patris fuit? Quot parentum filii minoris fuerunt et sunt virtutis et excellentiae, quam ipsi fuere parentes. Et si Dolabellae, dissoluto homini libidinosoque absente patre contigit, ut a Terentia Tulliam uxorem acciperet et matrimonium quinque annorum parum felix fuit, quaenam, obsercro, illa est imperitia educandi filios?

Quid plura? Ipse Cicero vivam sui imaginem reliquit in scriptis suis. In epistulis vero, qualis fuerit, tamquam ex photographo relucet. Nam quae plurimos homines hodie in politica habet simulatio, apud Ciceronem nulla est. Ille tam aperte quae in animo ei erant, commisit litteris, ut et vitia et virtutes ejus clare videas: itaque se nescius depinxit aequo cupidiorem fere laudis, ante oculos posteritatis posuit dolores suos et iras, haesitationes et ignavias, gaudia sua et spes; neque tamen minus omnibus locis eum deprehendimus magnum nobilissima humanitate, ardenter amore patriae, singulari, ut diximus, verecundia et innocentia, grata, in amicos et eos a quibus acceperat beneficia, voluntate.

---

(1) Cfr. fasc. sup. p. 127.

At enim ipsa scripta ejus et in primis epistulae, quas ad Terentiam ex exilio anno 58 dedit, tam plena sunt lacrimarum atque desperationis, tam abjecti sunt documenta animi, ut Ciceronis character, hoc est existimatio quam docti viri erga viros fortis habent, in perpetuum jaceat.

O bellos aequosque judices hominum! Tam vobis est difficile excogitare, quae tum Ciceronis fuerit fortuna, quid vos in eodem loco fueritis facturi? Si Paulus Apostolus, qui tamen Christi et Christi protomartyris exempla viderat et in tertium raptus caelum virtutem crucis didicerat, ignorare Corinthios noluit de tribulatione sibi in Asia facta, ubi supra modum gravatum et supra virtutem taeduisset vivere (2 Cor. 1, 8): nos fortis viros vetamus lacrimis paene delere litteras Terentiae et filiorum fratrisque Tullium, sanguinei temperamenti hominem, nondum luce collustratum evangelii, quod parum stoicus in illis fluctibus calamitatis non trucem superbiam, sed humana doloris signa pree se tulit! Sunt profecto certi cruciatus animi, qui etiam virorum fortium non indecor oculos repleant lacrimis, maxime si qui, ut Tullius, magnae calamitatis suae et suorum culpam sibi ipsi tribuant. Quam vero facile atque praepropere de molliore Ciceronis in adversis animo trutinet iudicia, qui Cicerone exsulante ipse in tuto sedeat et commodo suo numquam expertus similia! Qui contra idoneus est, qui aliorum hominum calamitates et ipse persentiat, non mirabitur profecto quicquam Ciceronem incerta condizione egressum patria, cuius paulo ante servator et pater esset nominatus, derelictum ab iis, quos ei oporteret gratos esse —et Pompejo frustra supplicem tetenderat manum— et incertam partim, partim adflictam propter se suorum sortem cogitantem, nullum dum malorum videntem finem, lacrimis paene delere litteras, ingemiscere, queri fortunam. Quae quidem lacrimae mihi certe non modo non videntur impedire Ciceronis magnitudinem, sed generosam ejus indicare humanitatem.

Videamus, inquam, ne in Cicerone judicando ruminatores simus verborum quae inconsiderate ab aliis audivimus jactari; injusti ne simus celeribus proferendis sententiis, proinde quasi quisquam juste exspectet Ciceronem non etiam hominem fuisse humanis naevis jure quodam suo conspersum. Sic potius statuamus eum qui incorrupto judicio Ciceronis vitam et Ciceronis opera contemplatus fuerit, fateri debere plus se hic vidisse lucis quam umbrarum, et M. Tullium Ciceronem inter lucidiora sui saeculi sidera amicum gratumque splendere sidus, non mediocrem in ceteris rebus, in arte dicendi expoliendaque lingua latina sidus totius imperii romanorum longe clarissimum.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

Romae, a. 1949.

## NOVA ET VETERA SCHOLA ROMANA

TIBERIUS FLAVIUS noster, quem ROMANUM appellavimus — et norunt lectors nostri — duo habet filios, Marcum et Tullium qui bene mane e somno excitantur a paedagogo, deinde uestes induunt, faciem lavant, capillos comunt, toga praetexta se amiciunt.

Superiore anno ludum litterarium frequentabant, ubi in puerorum elementis, legendo maxime et scribendo, eruditissunt. Nunc autem scholam adeunt, ubi magistrum audiunt in grammatica aliisque disciplinis valde versatum, qui pueros edocet grammaticam, metricam, historiam, terrarum descriptionem, mythologiam, mathematicam. Ambo confabulantes pergunt atque eleganter togam praetextam gerunt, ut par est nobili adulescentulo romano, et in manibus pugillares praebent.

Schola — quod videtis — non est angusta sed valde capax; ad januam nonnunquam est ostiarius qui advenientes pueros salutat eosque in amplam porticum, ubi schola habetur, ducit; juxta est hortus, ubi flores et arbores curantur ab ipso ostiario.

Cum vero magister scholam intrat, omnes discipuli assurgunt et eum more romano salutant: «Bene!, bene sit magistro nostro!» conclamantes.

Schola incohatur, discipuli in scannis vel subselliis sedent, magister in cathedra. Tullius ad magistrum stat et in volumine Vergilium poetam legit, quem deinde interpretatur. Magister sic pueros admonet: «Animum intendite ubi spiritum in legendo suspendatis, saepe enim intempestiva mora sensum orationis intercluditis; animadvertisite quoque ubi sensus claudatur, ne omnia sine ordine et quasi uno spiritu proferatis, videte quando attollenda sit vox, quando vero submittenda; quedam lentius, quedam concitatius sunt legenda. Id tamen in primis curabitis ut, quae legatis, animo plane intellegatis».

Deinde magister dicit et pueri stilo scribunt, in tabulis ceratis, quae sunt quadrata forma et oblonga cum parvo capite perforato quo suspendi possint; si magistrum male intellexerunt aut litteras permutarunt, stilum vertunt et lineam emendant.

Pueri raro calamo scribunt in plagulis chartae, eas enim facile mendis ac lituris commaculant quin ea delere possint. Saepe et memoriter pronuntiant aut clara





et elata voce recitant, aut ex graeco Homerum convertunt, aut computant addendo et deducendo —cui rei saepe abaco utuntur—, aliasque mathematicorum rationes perficiunt. Alumni summo studio animo attendunt; sunt tamen qui aliud agunt, mente sunt sevocati, cum vicinis gariunt. Ex iis Tiberius


ad paritatem stat, quem magister puniit, quia pensum memoria non didicit et cum Aulo rixatus est, quem et cucurbitam, simiolum, nasutum appellavit; alios calce petiit, in faciem inspuit sannamque fecit.

Volumina et codices in armario reconduntur, ex quo magister, quae ad dictandum aut legendum opus sunt, sumit.

Pueri domi capsam scholasticam habent; in ea volumina apte custodiunt, quae operculo cooperitur et, ut commode asportari aut gestari possit, corrigā circumdātur. Volumina in umbilico saepe complicantur seu involvuntur: indicem vero seu titulum libri membranula quaedam ex volumine pendens significat. Volumen non nullis constat foliis glutine copulatis, in quorum intima parte scribitur. Indices minio seu atramento rubri coloris —unde rubrica est appellata— inscribuntur. Quae emendari eportet, spongia delentur. Papyri seu chartae folia a librariis in foio veneunt, quae ad viginti folia copulantur et codicem seu librum componunt. Saepe codices in camisia reconduntur. Pro papyrus nonnunquam pergamenae adhibentur ex pellibus bestiarum praeparatae. Praeter capsam scholasticam et volumina pueri habent pugillares seu tabellas ligneas cerā illitas, quae simul complicantur et in quibus scribitur; quae et diptycha appellantur, aliae sunt triptycha aut numero plures et stilo inciduntur. Anulo quodam conjunguntur ut commode volvantur; saepe etiam litterae, in primis secretæ, signo quodam obsignantur. In mensa scriptores habent atramentaria, quae aliquando bina sunt, atramentum nigri et rubri coloris continentia; in iis calami (aut avium pennae) inunguntur ad scribendum; calami in theca calamaria asservantur aut in fascem colliguntur e quo pendet atramentarium.

Lectioni dum finem faciebat magister, pueros sic admonebat cum poëta:

«Dum datur, o pueri, discendi copia  
[vobis,  
discite: non semper copia talis erit».



## VOCABULARIUM

bene mane,	<i>muy de madrugada</i>	recitare,	<i>recitar, leer en alta voz</i>
paedagogus, i,	<i>pedagogo, ayo</i>	computare,	<i>contar, calcular</i>
toga practexta,	<i>toga pretexta, toga blanca con una franja de púrpura que llevaban los niños hasta los 16 años</i>	addere,	<i>sumar</i>
		deducere,	<i>restar</i>
ludus litterarius,	<i>escuela elemental</i>	rationes mathematicorum,	<i>operaciones matemáticas</i>
frequentare,	<i>frecuentar, asistir</i>	abacus, i,	<i>tablero, ábaco</i>
puerorum clementia,	<i>primeras letras, rudimentos</i>	garrire,	<i>charlar</i>
schola, ae,	<i>escuela media</i>	pensum, i,	<i>trabajo diario, deber</i>
disciplina, ae,	<i>asignatura</i>	cucurbita, ae,	<i>calabaza, tonto, sin seso</i>
terrarium descriptio, geo-		simiolus, i,	<i>mono, bobo</i>
graphia, ae,	<i>geografía</i>	nasutus, [a, um],	<i>narigudo</i>
pugillares, ium, f. pl.,	<i>tablillas para escribir, cuaderno</i>	calce petere,	<i>dar patadas</i>
janua, ae,	<i>puerta principal de entrada</i>	sannam facere,	<i>bacer la burla, darle vayas a uno</i>
ostiarius, ii,	<i>portero</i>	volumen, inis, n.,	<i>volumen, rollo, libro</i>
porticus, us, f.,	<i>pórtico, porche</i>	codex, icis, m.,	<i>códice, libro</i>
hortus, i, viridiarium, ii,	<i>jardín</i>	armarium, ii,	<i>armario</i>
bene sit magistro nostro,	<i>buenos días, señor Maestro</i>	capsa scholastica,	<i>estuche (bote) para volúmenes o rollos</i>
subsellium, ii,	<i>banco, taburete</i>	operculum, i,	<i>tapia, cubierta</i>
cathedra, ae,	<i>sillón</i>	corrugia, ae,	<i>correa</i>
spiritum suspendere,	<i>respirar</i>	umbilicus,	<i>cilindro de madera</i>
spiritum intercludere,	<i>cortar la respiración</i>	complicare, involvere,	<i>arrollar</i>
uno spiritu,	<i>de una alentada</i>	index, icis, m., titulus, i,	<i>rótulo</i>
dictare,	<i>dictar</i>	membranula, ae,	<i>tejuelo, membrete</i>
stilus, i, m.,	<i>estilete</i>	gluten, inis, n.,	<i>engrudo, cola</i>
tabulae, tabellae, arum,	<i>tablillas</i>	minium, ii, cinnabaris, is,	<i>tinta roja, bermellón, cinabrio</i>
f. pl.,		atramentum, i,	<i>tinta negra</i>
vertere stilum,	<i>corregir</i>	rubrica,	<i>tinta roja</i>
calamus, i, m.,	<i>pluma</i>	delere,	<i>borrar</i>
pagina, plagula, ae,	<i>página</i>	papyrus, i, f.,	<i>papel</i>
charta, ae,	<i>papel</i>	camisia,	<i>forro, cubierta</i>
mendum, i,	<i>error</i>	pergamenta (charta),	<i>pergamino</i>
litura, ae,	<i>borrón</i>	complicare,	<i>plegar</i>
pronuntiare,	<i>pronunciar</i>	diptycha, orum, n. pl.,	<i>tablillas plegables</i>
		signo obsignare,	<i>sellar, lacrar</i>
		theca calamaria,	<i>plumero, plumier</i>
		atramentarium, ii,	<i>tintero</i>

J. MIR, C. M. F.

### NUPER PRODIIT:

**SPES.** — *Diccionario ilustrado latino-español, español-latino.* — Tercera edición. — Revisada y ampliada con latín eclesiástico por los redactores de *Palaestra Latina*.

Editorial SPES, Avenida de Carlos I. 149; Barcelona, 1950. — Ptas. 55.  
Deductiones (%) flunt speciales apud *Palaestrae Latinae moderatorem*: Conde, 2;  
Barbastro (Huesca).

**SPES — Diccionario Ilustrado Latino-Español Español-Latino.** Prólogo de D Vicente García de Diego, de la Real Academia Española y del Instituto Cardenal Cisneros. Con un apéndice-resumen de Gramática Latina.

3.<sup>a</sup> edición revisada y ampliada con **LATIN ECLESIASTICO** por el cuerpo de redactores de **PALAESTRALATINA**.

Un volumen de 728 págs.: Ptas. 55.

**SPES — Diccionario Abreviado Latino-Español Español-Latino,** con ilustraciones, para los primeros cursos del Bachillerato.

Un volumen de 312 págs.: Ptas. 25.

**ECHAURI — Diccionario Manual Latino-Español Español-Latino.**

6.<sup>a</sup> edición corregida y ampliada.

Un volumen de 830 págs.: Ptas. 50.

**PABON-ECHAURI — Diccionario Griego-Español,** con lista alfabética de formas verbales y apéndice gramatical.

2.<sup>a</sup> edición corregida y ampliada.

Un volumen de 602 págs.: Ptas. 40.

---

**PUBLICACIONES Y EDICIONES SPES, S. A.**

**« EDITORIAL SPES »**

Avenida de Carlos I, 149

BARCELONA - 13

---


**Cum eometis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis**

# VINOS DE MISA

## DE MULLER, S. A.

### TARRAGONA

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la  
Exposición Vaticana de 1888 (S. S León XIII)  
Proveedores de Sus Santidades  
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

## Garantía de absoluta pureza

### EXQUISITA CALIDAD

Certificados del Excmo Sr. Arzobispo de  
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

*Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis*

# Exercitationes Scholares

## EPITAPHIUM DIOPHANI (1)

Solutiones ad *Epitaphium* plures accepimus. At non omnes placent. Quaedam enim Diophanti aetatem mirabili modo minuunt; aliae vero, adeo acute dimetiuntur tempus, ut non solum annos, sed et menses et dies Diophanti divinare satagant: nimis profecto acute.

Solutionem innuere videntur et —ut plane dicam— eruere conantur Dni. R. Aspa, R. Gabás, R. Badías,

$$\begin{array}{r} x \quad x \quad x \\ - + - + - + 5 + - \\ 6 \quad 12 \quad 7 \end{array} = \frac{x}{2} = 4 \quad \text{unde}$$

$$14x + 12x + 7x + 420 + 42x + 336 = 84x \\ \text{et } 84x - 75x = 420 + 336 \\ 9x = 756$$

$$\text{demum } x = \frac{756}{9} = 84$$

Diophantus ideo quattuor et octoginta annos attigit. Perperam aliqui solutionem quaesierunt, quod non satis recte epitaphii verba intellexerunt. Sed, agite, Daci Comillensis

J. Ferrer et A. Ortigas, e Seminario Barbastrensi, qui omnes positionem problematis minus aptam praebent, signis praepostere adhibitis.

En solutionem quam afferunt Dni. Marcus López et J. Astiz, e Colegio Miss. Filiorum Immac. Cordis B. M. V.:

$x$  littera Diophanti nostri annos exprimit et ideo

$$\begin{array}{r} x \\ - + - + - + 5 + - \\ 6 \quad 12 \quad 7 \end{array} = \frac{x}{2} = 4 \quad \text{unde}$$

omnesque pueri palaestritae; si solutiones non placent, placuerunt maxime latinae vestrae litterae. Valete omnes.

M. R.

## TERENTIUS (IV)

Nullus ex veteribus scriptoribus tot tantisque laudes, et aequalium et posteriorum, quantas Terentius, est consecutus. Atque ut exordiar a viro cuius testimonium, ut aemulatoris, maximus est ponderis, Afranium inducam qui Terentio similem dicit neminem. Cicero autem multa saepe ab eo sumit, et libens ejus affert versiculos, et elegantiam commendat sermonis.

Illius carmina, ait, ob accuratam elegantiam Scipioni et Laelio tribuebantur; proinde quasi tanta dignitas ac festivitas propria ac peculiaris eorum esset qui iisdem temporibus latine loqui litteratus quam ceteri putabantur.

V. MARTÍNEZ, C. M. P.  
ex V.º latinitatis cursu  
Xerae Equitum, apud S. Augustinum

(1) Cfr. fasc. 118, p. 116 in operc.

# NOVISSIME PRODIERUNT

Jos. M. Mir, C. M. F. «PALAESTRAE LATINAЕ» Mod.



# NOVA ET VETERA

seu liber explicans picturas «DELMAS»

Pretium: 20 pesetae

Cl. Auctor NOVA ET VETERA latino sermone explicat,  
voces antiquas aptans vel effingens novas. Quam ap-  
tissime id faciat opus laudatum docet.

PLANQUE, ANÉME, LERMINIAUX, OHILAIN, DETELLE

## GRAMATICA GRIEGA

e 3.<sup>a</sup> editione gallica vertit  
ANT. PLANAS, C. M. F.

Pretium: 36 pesetae

Veneunt apud GRAFICAS CLARET - Lauria, 5 - BARCELONA

Pro Collegiis et Studiorum Gymnasii pretii deductiones flunt.

### PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

20 pesetarum in Hispania et America. 22 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona  
Scripta ad moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.